

Heinrich Rudolph Redecker Gerhard Schepeler

**De Subditis Sub ... Praeside Dn. Heinrico Rudolpho Redeker/ I.U.D. & P.P. ... Iphis
Idib. Decembr. in Auditorio Maiori disputabit Gerhard Schepeler, Osnabr.
Westph. quare Omnes literatos & literarum fautores officiose invitat**

Rostochii: Kilius, 1662

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747317712>

Druck Freier  Zugang



K. K. — 2(90.)

1. Carr
2. Bar
3. Sca
4. Fel
5. lat
6. ut
7. P
8. O
9. C
10. E
11. G
12. Co
13. G
14. O
15. A
16. P
17. A
18. P
19. P
20. A
21. S
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.

1. Eueren de actione funeraria.
2. Bartholdi de concunhu dotis et fisci.
3. Prothicher de munerum et immunitatum iure.
4. Felch de re venatoria ejusque annexo iure.
5. Saker de jure decerpenti ponum in alieno.
6. Schultes de jure patronatus canonico.
7. Pocht de cautione de non offendendo.
8. Obrecht. sacra terminè.
9. Conring de summae potestatis subiecto.
10. Conring de optima republica.
11. Conring de regno.
12. Conring de boni consiliani in republica munere.
13. Scheurel. de divitiis deq; inventione nummi et usu.
14. Obrecht de resillo imperiali.
15. Masou. de processu exceptionis quae ob transactionem parti agenti objici solet.
16. Redeker de subditis.
17. Redeker de traditionibus.
18. Radov de jure nevespitatis.
19. Radov. de horreis publicis.
20. Radov. de nevespitate inveniendi matrimonium.
21. Radov. de delictis carnis.
22. Struv. de jure liberorum.
23. Struv. de reliquis. non in suis.
24. Struv. de pacto hereditatis conservativo.
25. Struv. de Judaeis.
26. Kämpfer de jure coloni partiaris.
27. Kämpfer de jure appulvris.
28. Meyer de jure circa cadavera punitorum.
29. Arianus. de veterum juris interpretum distinctionibus quas magistrales vocant.
30. Bremen de tractatibus.
31. Preyter de oblatione.
32. Philippi de usu. non communium odur siphustus Inbrauis.
33. Welz de jure particularibus statutis et consuetudinibus.
34. Mylius de economie vetito ad L. S. C. de juris: omni: jud:
35. Deick de usu divortiorum.

36. Martini de monte pietatis.
37. P. Müller de odio variationis.
38. Starpprecht de admittance personae extraneae in dispositione parentum inter liberos.
39. Rokit jura fidejussoris convenire volentis principalem debitorem antequam ipse mori.
40. P. Müller de gradu doctoris.
41. Schwendendörffer de communionem bonorum conjugali.
42. Rokit de reticentia.
43. Lyncker de nominatione socii criminis.
44. Schroeder ad l. fidei commissum C. de inofficiosis dotibus.
45. Eysen de factoribus.
46. ~~Styber~~ de jure commutationum apud veteres Germanos. Sect. 2.
47. Hasse de litis contestatione an et quatenus bonae fidei possessor per eam in mala fide constitutatur?

^{De}
SUBDITIS ^{16/}

^{Sub}
Auspicio Divino

PRÆSIDE

DN. HEINRICO

RUDOLPHO Rederer/
J. U. D. & P. P.

Præceptore & Hospite suo
venerando


Ipsis Idib. Decembr.

in Auditorio Majori disputabit

GERHARD SCHEPELER,

Osnabr. Westph.

^{quare}
Omnes literatos & literarum fautores
officiosè invitat.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1661.

Nobilissimo ac Consultissimo VIRO,
**DN. GERHARDO
SCHEPELERO, J. U.**

Doctori,
Reverendissimi ac Illustrissimi Principis ac Domini,
**DN. ERNESTI AUGUSTI DUCIS
Brunov: & Lunæburgensis & postulati Epi-
scopi Osnabrugensis Consiliario, Parenti suo
omni amoris & obœdientiæ cultu
devenerando,**

Ut &
Admodum Reverendo & Nobilissimo VIRO
**DNO. GOTFRIDO
GROTGESS, Ecclesiæ cathedralis,
quæ Hamburgi est Canonico, Cognato suo
ætatem honorando,**

*Hæc studiorum suorum primitias in si-
gnum debita observantia & obsequii*

offert

RESPONDENS.



DISPUTATIO

De

SUBDITIS,

CAP. I.

De

Subditorum definitione & constitutione.

THES. I.



Subditus est persona Magistratus potestati subiecta & ad officia & obsequia obligata: dicitur aliàs obediens, parens, subiectus, civis. Quoniam autem perfectus & proprie dicitur civis ab honoribus, comitiis publicis, suffragio & jure Magistratus non est sequestratus vel

exclusus *Arist. lib. 3. Polit.* inde cuiq; haud difficulter innotescit, populariter omnes qui in orbe Romano vivunt Cives Romanos ex constitutione Imperatoris Antonini effectos esse *l. 17. de stat. hom.* Nam si politicè loqui velimus, nec hodie in imperio nostro Civis no-

A

men

men meretur, nisi qui jure Superioritatis gaudet; ne res naturâ diversissimæ, quas & intellectus distinguit, confundantur: non enim potest civis nomen socii mereri, nisi de jure societatis participet, h. e. de rebus ad societatem prætinentib. ut simul cum aliis sententiam ferat.

II.

Subditi itaq; vox latius patet quam nomen civis, quia *Hic* sine ullo subjectionis respectu ad Rempub. refertur; *Ille* semper refertur ad Dominum vel Magistratum cui parere debet. *Hic* ex communione Judiciorum & Imperiorum seu curæ Reipb. judicatur, habet etenim se potentia ad utrumq; , ut parere & imperare possit; *Ille* ex subjectione & obsequio Magistratui debita censetur, quos inter est perpetua & necessaria. correlatio, & qui se mutuo definiunt: nã Magistratus respicit suum subditum, in eumq; debet habere cogendi potestatem, quamvis non æque summa Majestatis jura habeat. Interim pro ut forma Reipb. vel est Monarchica vel Aristocratica vel Politica, ita civis qualitas diversa est.

III.

Hic autem Imperantium & Parentium status, non ex jure naturali primævo descendit, quo omnes uno nomine veniunt & oppositive ad bruta animalia homines dicuntur l. 4. ff. de J. & J. quibus imperium in illa, quæ rationis usu carent, natura naturans æqualiter dedit, sed ex jure naturali secundario, quod recte jus gentium dicitur originem ducit, & est quod rationis usus, necessitate vel utilitate exigente, constituit, ex quo etiam dominiorum distinctio provenit *Card. Lugo de J. & J. D. 6. c. 1.*

IV. Et

Et quamvis dicente Aristotele, cui hactenus dictamen rectæ rationis suffragatur, homo natura sit animal politicum, ita ad civilem societatem natum, ut in eam omnietiam malorum metu absente, quasi instinctu aliquo naturali feratur: *tum* ut mutuis auxiliis & officiis conservetur humanum genus, *tum* ut defensionis innato præsidio eo fortius visvi repellatur, quod aliter fieri nequit, quam ut unus imperet alter pareat: Attamen post diluvium primus qui, imperandi sibi in genus humanum potestatem sumsit, dicitur fuisse Nimroth, cujus regni principium fuit Babel in terra Caldæa, qui etiam urbem Ninivem in Assyria fundavit. Postea tractu temporis, uti per rationis usum fieri solet, usu ac necessitate svadente, imperandi arbitrium per terrarum orbem passim invaluit. Et quemadmodum tandem ad tres Rerum publ. formas omne imperium est redactum, ita subditorum diversa etiam cœpit esse ratio & conditio.

Constituitur autem subditus non tantum origine seu nativitate & domicilio, verum etiam ex aliis causarum figuris, quatenus vel bello, victoris arbitrio populi devicti subjiciuntur, vel ipsi sibi Magistratum eligunt cujus potestati se ultro, ne in turpem Anarchiam confusa & indigesta multitudo desinat, submitunt. Unde Valentinianus Imperator: *Ut me ad imperandum vobis eligeretis in vestra situm erat potestate: at postquam me elegistis, vobis tanquam subditis competit parere, mihi que facienda sunt cogitare.*

Domicilium originis Leges civiles etiam ex origine,
A 2 patris

patris, & ita ex domicilio avi estimant l. 1. ff. ad Munis.
quare fieri potest, ut subditus originis in illo loco quis
intelligatur, ubi nec habitat nec bona habet. Verum,
uti illud nec nostris moribus est receptum, ita nec mu-
tato plane antiquo Reipubl. statu, presentis imperii
formæ congruit. Unde subjectio originis, nisi vel do-
micilii vel servitutis accedat ratio, hodiè vix ullum
parit effectum. Neque aliter forum originis quis sorti-
tur, nisi in loco originis reperiatur, vel ibi simul domi-
cilium habeat.

VII.

Si itaq; dixerimus domicilium habitationis hodie
sufficere ut aliquis subditus reputetur, nihil inde ab-
surdi promanat, cum etiam ipsa vocabuli nativa signi-
ficatio hoc arguat, neque tamen excludimus Homa-
gium seu fidelitatis & subjectionis promissionem, quia
hoc non tam subditum facit, quam arctius obligat
& probat.

VIII.

Quatenus autem quis nondum propriam fovet
familiam, nihilomagus inde Magistratus loci iussio-
nes & mandata negligere potest, quia tunc ex familia
cujus vel integralis vel essentialis pars est iudicatur. Fa-
milia autem relative est pars civitatis, per se vero est
corpus personarum, quæ sub unius Patrisfamilias pri-
vata sunt autoritate & potestate l. 195. de. V. S.

CAP. II.

De

Subditorum divisionibus.

THEs. IX.

Subditorum variæ sunt divisiones & diversæ qua-
litates

litates, ex quibus illorum natura penitus innotescit, quare ex varia terminorum oppositione & explicatio-
ne in solidam ipsius rei notitiam facile dilabemur.

X.

Prima itaq; subditorum divisio desumitur. Ab *Officio* & vitæ instituto, quo alii sunt *Ecclesiastici*, seu cultui divino addicti, qui tamen nihilominus potestati politicæ subsunt. (1.) quia sunt pars Reipubl. *cap. 22. dist. 3.* (2.) propter præceptum Pauli *1. Pet. 2. Rom. 13.* (3.) Exemplo Pauli *Act. 25.* (4.) Exemplo Christi. (5.) *1. Reg. 2. 1. Paral. 17. 1. Maccab. 4. Reink. de Reg. sec. & Eccles. l. 2. cl. 1. c. 1. n. 19.* Quamvis eos Pontificalis auctoritas vel potius comperta ambitio Præsulis Vaticani, civili imperio subduxerit *Lampad. de Repl. Rom. p. 3. c. 21. n. 14. & seqq.* Alii *Seculares* qui ad munera civilia subeunda, nisi privilegium exemptionis subsit, sunt astricti & vi subjectionis obligati.

XI.

Secunda divisio ab *Ordine* descendit; Nam cum subditorum nomen recipiat magis ac minus, alii subditi sunt *primarii*, alii *intermedii*, alii *infimi*: quæ membrorum oppositio in nostro imperio clarissime patet. *Primarii* sunt non tantum Status Imperii, qui in comitiis Imperii jus sessionis & suffragii obtinent. *R. J. de Anno 1570. S. Nach dem auch. & R. J. de Anno 1576.* Sed etiam, qui immediate Imperio subsunt, uti Nobiles in Svevia, Franconia & ad tractum Rheni, *Die freie-und ohnmittelbare Reichs vom Adel.* Status enim Imperii quamvis respectu suarum ditionum ac regionum regiam habeant potestatem, jure proprio competentē, attamen Imperatoris & Imperii non tantum sunt Vassalli sed etiam Subditi.

A 3

XII. 149

Intermedii sunt Magistratus Rerumpubl. subalter-
narum, qui ut ut intuitu inferiorum dicantur Magistra-
tus, tamen relative ad superiores sunt subditi. Itaq;
non implicat si eandem personam dixerimus Magi-
stratum & subditum, cum persona politica diverso re-
spectu possit considerari. Et in statu politico ubi Magi-
stratus est ambulatorio est absurdum, si dixerimus quod
eadem persona modo imperet modo pareat, quia in
hoc statu omnes dominantur & singuli parent.

Infimi proprie dicuntur subditi, quia nunquam
non parent, & quibus semper & perpetuo obsequii
gloria relicta est, cum Magistratui Imperii gloriam Dii
dederint: Quippe cum apud illos omnis spes Imperii
decollet & qui ad perpetuam subjectionem damnati
sunt, uti asinus ad plagas, inde *Julius Caesar l. 6. de Bell.
Galli: Plebe nihil esse contemtius* dixit.

Hæc autem divisio rectissime se habet. Quamvis
enim harmonica Reipubl. ratio exigat, ut inter ejus-
dem conditionis Cives æquabilitas observetur, attam-
en eadem non tollit differentiam, dignitatis, officii &
honorum: Magna siquidem inde ataxia & perturba-
tio oriretur, ad ruinam cujusvis societatis tendens, si
singuli subditi non habito respectu, dignitatis, meriti,
prudentiæ, honorum ac divitiarum, æquabiliter cen-
serentur, *Bodin. l. 3. de Republ. 8 p. m. 543.* uti enim hæc
æqualitas est fons & scaturigo perniciosissimæ confusi-
onis, ita illa inæqualitas diversi ordinis, est concors dis-
cordia & cõcordia discors. Adeoq; hoc colore recte di-
cimus in Republica respectũ personarũ esse habendũ,
cum

eam nec Deus omnes & singulos homines fecerit
æquales quo ad externas qualitates.

XV.

*Tertia divisio dependet à Statu Reipubl. ubi alii sunt
Milites alii Pagani. Illi tales appellantur vel à militia
i. e. duritie quam sustinent, vel a multitudine, vel a
mille numero hominum, vel a malo quod arcere mi-
lites solent, vel à mollitie quod nihil molle gerant,
Brisson. de V. S. h. v. Est autem miles qui in militarem
matriculam receptus & ense cinctus, publico signo vo-
catus comparere & belli actus sustinere debet, nec a
signis recedere potest. l. 13. §. 3. ff. de re milit. dicitur Germ.
ein Landes Knecht à Maximil. Imp. Meteran. l. 1. Hist. p. m. 16.
vel Soldat a solidis quos accipit, vel a Germanico
Sold seu mercede, vel a solduriis sive soliduriis quos
Galli devotos dicunt, unde Estienne Pasquier l. 6. recherch.
6. 4. De moy je veux croire que du souldart Gaulois vient celui
de soulda, souldoyer & souldoyement: par ce que n'employons
le mot de soulda que pour les Soldats &c. Hi semper oppo-
nuntur militibus & sunt illi qui extra militiam vivunt
l. 19. §. 1. de cast. pecul. & militibus averfantur l. 1. §. 1. de
fugitivis.*

XVI.

*Quarta divisio dependet a dignitate, qua alii sunt Nobi-
les alii Plebei Nobilis a noscendo dicitur, quod præcipue
propter rem bonam innotuit, est autem nobilitas ni-
hil aliud quam dignitas, qua quis legitime plebea con-
ditione exemptus est. Hæc oritur ex virtutis meritis,
non ex divitiis aut facultatibus, quia hæ infamibus
etiam communes sunt, quibus omnes dignitatum gra-
dus sunt præclusi. In specie autem Nobiles dicuntur
qui arma gerunt h. e. jus scuti & galeæ a Principe ob-
tinuerunt,*

tinuerunt, die Schilt und Helm haben: Quoniam autem illorum, qui de Republ. vel arte aut Marte insigniter meriti sunt, honorata debet esse recordatio, cum & æquum sit ut virtutum memoria ad posteros perveniat: Inde nobiles alii sunt genere seu nativitate, quo etiam referuntur illi qui ante dignitatem à patre indepti nati sunt, alii propriis meritis, unde alia estagnata alia noviter acquisita nobilitas: Ubi certe generosius est fieri quàm nasci nobilem, si propria virtus absit, quia hoc ex alieno, illud ex proprio facto possidetur. Sunt autem nobiles alii Equites Germ. Ritter, alii nobiles in specie sic dicti. Qui iterum vel sunt exempti vel obsequentes, & tunc à territorio vel Landsassii, vel Amptsassii Speid. voc. Landsassen.

XVII.

In Statu Monarchico hoc certissimum est, quod nobilitas ipsi Principi quidem impertiat honorem, sed tamen potestatem ejus maxime minuit. In Statu Aristocratico Nobiliùm magna etiã ratio est, Status tamen ille eo pauperior ac debilior, quo magis numerosa nobilitas. Status Politicus eo pacatior est minusq; factionibus ac turbis obnoxius, quo magis nobilium stirpes ibi cessant. Plebei à plebedicti sunt, ubi ipsa vocis ætymologia qualitatem rei signatæ explicat.

XVIII.

Quinto subditi ex habitu acquisito dividuntur in Doctos & Indoctos. Illi quoad studia, vel sunt Theologi h. e. verbi divini præcones & sacerorum mysteriorum antistites, quorum duæ sectæ, scilicet Augustanæ Confessioni addicti & Catholici, lege Regia, de qua disputare, concionari & scribere, est prohibitum, Instrum: Rocio S. f. n. 17. sunt permissæ.

XIX. Juri-

XIX.

Jurisperiti qui juri & justitiæ operam dant, unde Sacerdotes juris & justitiæ dicuntur; horum domos Cicero *Juris Oracula* vocat. Ubi tamen differentia videtur manifesta, non tantum inter veros J.C. & *tabulas forenses*, sed etiam inter jurisprudentes & *jurisperitos*, quia aliud est juris scientia, aliud in rebus agendis prudentia: Illa enim ex libris hauritur, hæc usu & experientia comparatur.

XX.

Medici qui remediis curant corpora humana morbis afflicta, de quibus *Plato l. 3.* dicit, quod absurdum sit medicorum auxilio opus habere, non vulnerum sanandorum, aut popularium tantum morborum causa. *Philosophi* qui sunt artium liberalium inferiorum periti, quos *Socrates*, quem *Junius* in qq. Politicis adducit, ridiculos esse affirmat, si longo tempore, in *Philosophiæ studio* versati ad forum venerint, quare regulariter nec immunes sunt a muneribus publicis, quia turpe est ut patriæ functiones ferre non possit, qui fortunæ vim se ferre posse profitetur *l. 8. C. de Profess. & Med.*

XXI.

Docti autem quoad gradum. Alii sunt Doctores, alii Licentiati, alii Magistri, alii Baccalarei: Quorum graduum ritus ac proprietates uti sunt notissimi & passim tractati *vide Matth. Steph. de jurisdict. p. 2. l. 3. c. 14. & Limn. de Jur. Publ. l. 8. cap. 8.* ita origo illorum valde obscura est, certum tamen, & per *Clem. 2. extr. de Magistr.* probatur, quod in seculo XIV. gradum fuerit sollemnis collatio.

B

XXII.

Et quamvis non ab omnibus Doctoratus gradus simili æstimetur pretio, tamen ex legibus & moribus imperii Doctores Nobilibus exæquantur. *R. J. de An. 1577 tit. von Doctoren/* eorundem vestitu se suasque uxores ornandi lege publica permissionem habent, ut etiã, uti eruditionis dignitate præ plebe splendent, ita vestium nitore emineant. *Indocti* sunt humanioris literaturæ expertes, negotiis plebeis & mechanicis vacantes.

Sextam divisionem domicilium parit, unde alii sunt *Urbani*, alii *Extra-urbani* seu agrestes. *Urbani* sunt, qui in urbibus degunt ut Patricii, Negotiatores, artifices & Officiales. Patricii olim dicebantur Senatorum posterii & progenies, postea Consiliarii Principum *Brisf. de S. V.* quibus opponebantur homines novi, qui ex plebe in Senatorium ordinem electi erant, *Vid. Orat. Mar. apud Salusti.* Hodie sunt illi, qui vel nobilium privilegia ab Imperatore habent, Germ. *Stad Jundern* vel etiam ab avitis stemmatibus ortum trahunt, dummodo sint lautioris conditionis die alten *Geschlechter* quorum dignitas, exemptio & præferentia ex privilegiis, locorum statutis aut receptis moribus censentur. In plurimis civitatibus inane nomen imaginatæ dignitatis Patricii habere solent, sine ulla exemptione & privilegiis.

Negotiatores vel sunt *Institutores* qui suas habent tabernas, in quibus merces pro pretio convenienti venum exponunt, Germ. *Krämer* / qui tamen non possunt monopolia exercere *t. t. C. de Monop. Ord. Pol. de Anno*

1777 tit. 18. 19. 37. nec prohibitas merces venundare.
L. 2. C. qv. res. ven. non. pos. Vel Mercatores qui res
mobiles vel immobiles inportant venum l. un. C. de
vund. Lycurgo in sua Repub. peregrinos & peregrinorū
commercia prohibuit, unde monetam ex corio fecit,
ne per commercia mali mores importarentur, quod
ex salute publica esse pure negamus, quo enim liberio-
ra commercia eō florentiores Respubl. quare etiam
Lacedæmoniorum respb. periit.

XXV.

Artifices Germ. *Hundwerker* maxima commoda
in Rempubl. ferunt, quare etiam illorum statuta & pri-
vilegia Magistratus sollicitè conservare solent, quia
duplicem effectum relinquunt, tum ne aliunde cogantur
cives necessariam suppellectilem afferre & pecu-
niam eliminare, tum etiam ut alii illorum artificii al-
licerentur, hinc etiam LL. artificibus amplissime pro-
spiciunt, abususq; illorum, quibus molitorum, publi-
canorum, chirurgorum, balneatorum, tubicinumq; fi-
lios ad honesta collegia nolunt admittere, tanquā ir-
rationales tollunt: Ita brutū etiā, Statutū est quo non
licet alteri perficere, quod alter cœpit *Recess. Imp de Ann.*
1548. & 77. Dividūtur autē in certa collegia, *Zunftē, Bil-*
de/Empter/Gewerde dicta, quæ suos habent artium præ-
fectos seu tribunos *ihre Zunftmeister* / qui etiam mul-
ctandi jus habent, si in collegii statuta commiserint
ipsi artifices. Officiales sunt qui mercede conducti
manuales præstant operas.

XXVI.

Extra-urbani sunt *agricole* seu agricultores, qui
agris colendis vacant, quorum opera uti est honestis-
sima & antiquissima, ita maximam utilitatem societa-

et civiliter præbent, quare etiam illis, eorumque bobus ac
instrumentis lex plenam tribuit securitatem l. 7. 8. &
aut. agricultores (qua res pign. obl. poss. Hi autem
vel sunt liberi vel glebæ seu manso asscripti, Germ. *Eis-
genbehörige, Leibeigene*, quorum obsequia, opera & ser-
vitia uti sunt determinata vel indeterminata, *gemessene
ne und ungemessene Dienste*, ita maxime pro locorum
ac regionum recepto more variant.

XXVII.

Septima divisio promanat *Ab Existimatione*, quæ alii
sunt *honesti*, alii *turpes*. Hi ob labem & defectum bonæ
existimationis & famæ indigni sunt ad munia honoris
capescenda; neque tamen sunt unius generis, quia
turpitudine, prout factum simplex vel atrox præcessit,
modo plus modo minus opinionem apud bonos gra-
vat. Inde *alii* laborant infamia juris, quos ex turpi fa-
cto lex notat, uti publico delicto damnatos: *alii* infam-
ia facti, quos turpe admissum apud bonos onerat ut
si conjux conjugi quid auferat: *alii* levis notæ macula,
qui citra proprium factum turpes ex opinione homi-
num censentur, ut spurii. *Illi* sunt qui habent statum
illæ læ dignitatis legibus & moribus approbatum.

XXVIII.

Octava divisio profluit *ex sexus diversitate*. Ita alii
sunt *Mares*, quibus imperium in fœminas natura dedit;
alii *Femine* quarum deterior ac virorum est conditio,
quæque ad imperandū per se sunt inhabiles. Homines
tamen eas esse nemo seriò negabit, nisi velit turpiter
in cineres maternos mingere, vel se dignum præbere,
qui ex matre cane, ne quid pejus dicam, sit natus. Alii
Hermaphroditi seu Androgyni, quorum rarus nume-
rus, unde Rennemannus illos figmentū ratio nis putat,
cui non astipulor.

XXIX. No-

Novam divisionem supeditat *Status privatus* quo alii sunt liberi, alii servi. Illi qui nullius dominio aut potestati privatae sunt subiecti, *Hi qui tum* quoad bonam tum quoad personam alterius arbitrio subsunt. Quonia autem servitus, Romanorum Legibus determinata, inter Christianos expiravit, vestigia quaedam satis dura passim inter Christianos in *propriis hominibus* qui glebae ascripti sunt, remanserunt, de quibus Husanus & Staminus prolixè satis scripserunt.

Decima divisio dependet ab effectu, ubi alii sunt boni alii mali: Illi qui omnia faciunt quae in gloriam Dei, salutem publicam, commodum proximi & propriam existimationem vergunt. *Hi* qui in omnia illa quae ad bonam subditi qualitatem & florentem Reipublicam statum pettinent, committunt, quos non injuria vocare possumus humanae naturae vomicas ac carcinomata. Tales autem sunt quos vel mala educatio quae est fons & origo omnium bonorum & malorum habitum, unde felicitas & ruina Reipublicae dependet, vel natura regionis vitiavit. Cernimus enim, inquit prudenter *Machia. l. 3. de Repub. c. 43.* certis quibusdam regionibus, peculiare quosdam affectus insitos, & nunc & semper fere eodem modo fuisse. Quod non tantum Politicis, verum etiam Jurisprudentibus cognitum est, *arg. l. 31. §. 21. ff. de Aedil. Edict.* Inde Rex quidam summæ Majestatis dixisse fertur: Regem Hispaniæ esse Regem hominum, Regem Galliæ asinorum, Regem Britanniae diabolorum, Imperatorem autem Regem Regum, quam tamen censuram, præprimis de Gallis, quos rectius milites dixeris, nimis duram, non facio meam.

Undecima divisio oritur ex cultu numinis, ita alii sunt Christiani & in Ecclesia, alii non Christiani & extra Ecclesiam. Illi sunt in fidem apostolicam per baptismum regeniti. Hi vel Judæi vel Gentiles: Judæi post horrendum piaculum sœnebri malitia potissimum infames sunt, quare nec in Republ. possunt recipi nisi ab illo, qui regali potestate pollet. Ord. Pol. de Anno 1548. tit. von Juden, & conservandi sunt, (1.) Ob spem conversionis. (2.) Ut sint testes veritatis novi & veteris testamenti. (3.) Divinæ iræ lucidissimū speculum (4.) ut habeant occasionem se convertendi, (5.) Quia etiam sunt homines in quos sine causa sœvire natura vetat. Recipiendi tamen sunt illa lege, ut serviant & non dominantur, neq; iniqua ipsis & mordax permittatur usura, multo minus ut in Deum sint blasphemii, vel dignitatum capaces. Insignem autem præter anniles fabulas de nomine Judæorum errorem committit exquisitissimus alias politicæ veritatis censor Tacitus l. 5. Hist. c. 2. qui aucto in barbarum cognomento, Judæos quasi Idæos à monte Ida in Insula Creta dictos putat.

Gentiles sunt qui verum Deum nec agnoscunt nec colunt, quibus etiam jure annumerantur moderni illi athei, qui nec resurrectionem mortuorum nec judicium credunt. Nec non Zegari ceu Cingari Germ. Siegäuner, quod genus hominum palam profitetur furandi & prædandi artem, imo præstigiis diabolicis aperte fallunt & sæpe exploratores & proditores regionum existunt, adeoq; improbissimi boni publici hostes. Est enim manipulus & sentina sceleratissimorum hominum, in quibus non satis compertum habeo,

cur

cur terrarum Domini abutantur sua potestate & clementia, cum illos ceu nefandos mortalium, deberent pro delicti atrocitate vel ultimo supplicio afficere, vel ad perpetuas operas condemnare. Curare enim debet Præses Provinciæ, uti malis hominibus Provincia purgetur l. 3. ff. de offic. Præsid. jung. R. J. de Anno 1577. von den Siegäunern Camer. 1. Med. Hist. 17.

XXXII.

Ab Effectu venit duodecima divisio, quo alii sunt subditi absolutè dicti, alii secundum quid. Illi sunt quibus in omnibus honestis Magistratui parere necesse est; Hi vel sunt honorarii vel tributarii, quorum isti comiter alicujus magistratus potestatem observant nec ulla necessitate ad sustinenda onera vel munera tenentur, ut Bohemi, Helvetii, Belgæ, vel qui in genere sese superioris clientelæ, vel certis conditionibus potestati submiserunt, ut pactitii. Hi vel tributum, ut subjectionis quædam servitia vocati præstent, accipiunt, vel solvunt annuatim.

XXXIV.

Decima tertia divisio Sumitur ab utilitate: Ita alii sunt subditi qui commodum & utilitatem in Rempub. conferunt, alii sunt voluptatum artifices, ut Histriones, qui vel ex Histria vel quod Scaligero verius videtur ex Hetruria, ortum duxerunt, & mercede conducti in Theatra publica prodeunt, quæ consistoria impudicitia, veneris sacraria & arces turpitudinis dicuntur. Quia autem in illis nihil nisi pietati & honestati contraria fiunt, in bene constitutis Rebuspubl. non tolerantur, cum & jure civili prohibeantur & pro infamibus reputentur. l. 1. de spect. Ejusdem ordinis sunt etiam gladiatores Klopsechter quos Imperator Constantinus l. un. C. de gladiat. damnat.

XXXV. De

Decima quarta divisio ex facultatibus subditorum, producitur, ubi alii sunt divites qui munera & onera, Reip. ferre possunt, alii pauperes quialiorum ope indigent. Hi si verè tales fuerint, merito miserabiles personæ dicuntur, & in prochorophia rediguntur, ut omnis fraus subvertatur; quare etiam mendicantes validi ab omni eleemosyna excluduntur & ad labores & servitia jure ablegantur *dd. R. J. tit. von Deulern & t. C. de Mend. Val.*

Decima quinta divisio ab in habitatione civitatum sumitur: ubi alii sunt Cives alii Incolæ. Cives à coeundo dicti, quia in coetum coiverunt: illi sunt qui jura civium habent, origine, manumissione, adoptione & allectio nel. 7. C. de Incol. die das Bürger Recht haben! & hi vel sunt hereditarii vel novitii. Sed hic notandum, aliud esse habere jus civium, & aliud jus civitatis, hoc enim refertur ad omnes seu universam multitudinem, illud ad singulos. Incolæ sunt qui sine jure civium alicubi domiciliū tantum habent, Germ. Einwohnere l. pupillus S. incolæ ff de V. S. quæ differentia etiā Jure Lubecensi expressa est lib. 1. tit. 2. Rubr. von Bürgern und Einwohnern. In Gallia peregrinorum mortuorū bona fisco cedunt, quod dicitur jus albanagii, quare si alii Principes idē jus in Gallos peregrinos jure retortionis statuunt, nulli faciunt injuriam.

Quæritur hic quid sentiendum sit de illis qui nullibi habitant, quibusve totus mundus domicilium est; uti piscibus æquor, quales sunt vagabundi quidam nautæ, mendicæ, histriones, tibicines, gladiatores & alii? Practici has ibi habere domicilium & subditos esse putant, ubi reperiuntur, quod quoad forum concedimus, non autem quo ad subjectionem, quia Philosophus illos *ἀποδιδες* sine jure lege & tribu dicit.

Sequntur jam subditorum officia.

DEO SIT LAUS.

Sic Sceplere decet patrios imitariet ausus,
Sic decet intrepido cursu contingere metas;
Quam tibi praescripsit pietas iussusq; parentis.
Perge bono caepo caeptam pertexere telam;
Ut quo praecedis virtus fortuna sequatur.

Ad Politissimum Dominum Respondentem
PRAESES.

Summa Megistanum quae sit vis quaeq; potestas,
Quidve queant proprio sceptrum timenda solo:
Discit subiectae qui novit nomina plebis
Quam fors arbitrii non finit esse sui.
Istud cum praestat Scheplerus praestat utrumq;
Vno bina docet pagina lecta loco.

Cum voto prosperrimi in Studiu successu Ornatiss.

Dn. Respondenti haec adjecit

Michael. Pancratius D.

Jurate qui sint, Dominorum sortu alumni
Dum SCEPLERE doces somnia nulla doces
Ingenii fortuna tui cum prima sit haecce,
Aetas quas sparget consolidata rosas.

H. B.L.L.Stud.

Gerardus Sceipler, Osnabrugensis, VVestphalus.

κατ' αναγκάματα.

Haud niger es, super es, clarus post nubila surges.

Dulce decus nostrum, Divis sacrate sodalis,
Et stabili conjuncte loco, nunc imminet hora,
Futilibus quae te numerosa luce probabit.
Tu super invidia ne quid moveare, sed ausus
Praclaros felix urge; magis ampliat illa
Mordendo laudes; crescunt arbusta per acres
Conquassata nivos, tempestatesq; sonoras;
Et mox in caelum, quae nunc plantaria, surgunt.
Haec te charta bono depradicit ovine, saltim
Scandito suggestum, post praelia victor abibis.

Interea

Interea congrator opus: superge lubentes
Eximie captus, Deus adspirabit, & una
Promittent Musa grato de more coronam.
Omnibus inq. locis aderunt praeconia, namq;
Haud niger es, super es, clarus post nubila surges.
Ita auctoris in memosynon Praestantissimo Dno.

Respondenti properantibus nuncu-
pabat Camoenis

Georg Amselius LL. Stud.

UT tua post abitum maneat quoq; fama superstes,
Neu abeat tecum, mentio cuncta tui.
Testatura tuas, post te Sceplere relinquis
Indicia, & laudes & dei in eximium.
Perge, nec egregio capto desiste labori.
Sic volitat & honos, cuncta per ora tuus.

P. R. Kossblad. LL. Stud.

Dum tu satidica Themidupia septa pererras
Sacraq; contendis noscere magna togas
Quis nostrum non est qui non Sceplere decorem
Ingenii laudet concelebratq; tui.
Tu sic, si perges laudem tua facta perennem
Sedtenturq; patris spem satiare potes.


Paucula haec Ornatisimo Dno. Respondenti adjicere voluit


Conrad Barthold Stille/ LL. Stud.

TE, Germane, decor vultusq; modestia laudant,
In pretio doctus ane gerendus eras?
Scilicet es curae; manifestaq; vita meretur,
Publica mordenti nunc documenta dari.
Zoile, pro pudor est, ocyus subducere, virtus
Namq; vel invisos haecenus, una probat.
Haud majora sequar: de te bona praedicat aequus
Censor, at excellens judicet ausa Pater.


Fratri suo svavissimo deproperabat,
Christian Schepler. LL. Stud.

85 (0) 90









gumentum ex quibusdam legibus del
momenti habet, quo minus leges a di
dium productae eorum sententiae pat
enim primo ad constitutionem Imper
NIANI ET VALENTIS *i*) iam supra (S
tinet, secundum quam *litigator victus i*
bitione tenèatur, nec tantum fructuum prae
ipse percepit, agnoscat, sed etiam eos, q
set, non quos eum redegisse constat, exsol
ex quo re in iudicium deducta SCIENTIAM
SESSIONIS ADCEPIT; verba eius postren
fidei possessionis adcepit, non pro adiectio
pro adiectione declarante habenda sunt,
omnibusque aliis legibus conuenienter
ex quo eo ipso, quod res in iudicium deducta
exitum scire debet, se ciuilitè pro malae fidei
inde effatum SCTI PAVLLI *u*) iam supra
quod scilicet bonae fidei possessor her
post litem contestatam in modum praec
et casum petitori, etiamsi hic rem fuisset
stare debeat, egregie quidem probat, b
rem per litem contestationem in mala fi
contra principia naturalis aequitatis, *sa*
verum neutiquam ostendit, ipsum etiam
dum quid, scilicet quod ad praestatione
culpaè, post eam malae fidei possessori es
Immo contrarium ICTUS in hac lege ec
innuit, quod regulam generalem in o
DRIANI stabilitam: *vt post adceptum iud*

F 2

i) In L. 2. C. de fruct. et lit. expens. VII. 51.

u) In L. 40. pr. D. de heredit. petit.

43

minus
in me-
Quod
LENTI-
tam at-
ei redhi-
um, quos
e patuis-
tempore,
DEI POS-
m malae
ate, sed
turalem
habent:
tum litis
eri. De-
datum,
quidem
litem
s, prae-
offesso-
non,
nstitui,
secun-
etiam
ndum.
bscure
i HA-
i prae-
stetur,

